



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Origo Tuscorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

F L V-  
M I-  
N A  
Vm.  
briæ in  
Tibe-  
rim de-  
flietia,  
& per  
eum in  
mare  
infe-  
rum.

Tinia Plinio, Straboni Tenea, Meuaniam urbem al-  
luens, ait Strabo lib. 5. Inglorius Silio dicitur; hodie  
*il Topino*.  
Clasia aut Clasius supra Asisium defluens: hodie *Chiag-  
gio*.  
**CITVMNVS**: hodie *il Clitorno* describitur à Plinio Ju-  
niore lib. 8. epist. 8. ubi tamen nihil de mirabili virtute,  
quâ boties in eo bibentes candidi sunt. Vides  
hunc descriptum in Appendice Tabulae.  
NAR ab Epitomistâ Stephani, & Procopio *Népros*: ho-  
die *Nera*, & *Negra*, sic dictus quia *Nar* linguâ Sabi-  
nâ *sulphur* sonat; vel ut etiam ait Seruius quod in  
modum narium duos exitus habeat; certè ut ait idem  
Seruius, dum currit est sulphurei coloris, dum hauri-  
tur Tiberi, albi.

### §. 3. Historica Tuscorum Descriptio.

#### N V M. 1. Nomina Tuscorum.

**G R A E C I S** Τύρρηνοι & Τυρσοι nominantur apud veteres Pinda-  
rum, Hesiodum & Euripidem, immo & Dionem. **R O M A N I S** autem  
Etrusci, seu Hetrusci, item & Tusci, & aliquando Thusci, ut Pli-  
nio, à Τύρω sacrificio & Τυρά, ut volunt Seruius & Isidorus: cum hoc  
tamen discrimine quod terra Hettruria, homines Tusci dicentur,  
ut Varro & Seruius annotarunt. Primus Tusciæ nomen L. Florus  
vsurpauit; sed Plinius Hetruscos & Thuscos promiscue vocat, &  
Hetruscos à Rege dictos putat, Thuscos à sacrificio ritu.

Tyrrheni autem nuncupati sunt, vel à Tyrrheno quodam Athys  
& Callilex filio, aut Herculis ex Omphale; vel certè à minutis  
domiciliis quæ *Tyrsæ* Tyrrheni vocant. Trania autem pro Tyr-  
rheni dici videtur à Seraphione apud Dioscoridem de resina.

#### N V M. 2. Origo Tuscorum.

• **T R I P L E X** de Tuscorum origine opinio ex Dionysio Halicar-  
nassensi, Strabone, Hellanico & aliis.

*Prima sententia* est Tuscos indigenas esse, & à domiciliis minu-

CCC iii

tis nomen accepisse, priusque Razenias esse dictos à quodam Du-  
ce; sic quidam apud Dionysium.

*Secunda* est, Pelasgos fuisse, quia Pelasgi vocantur à Sophocle in  
choro Inachi, & eos venisse ex Thessaliā Lemno & Imbro Insulis,  
origine autem Arcadas esse, vt iam dictum est in Graciā.

*Tertia* est, Tyrrhenos ex Mœoniā, seu ex Lydiā Asiaticā venisse,  
sic Strabo, Herodotus lib. 1. Velleius Paterculus lib. 1. & alij. Cūm  
itaque duos fratres hæc Regio capere non posset Lydum & Tyr-  
rhenum, forte ducta Tyrrhenus cum ingenti multitudine venit  
in Italiam, Lydus in Asiam restitit, & Mœoniam de suo nomine Ly-  
diam dixit.

Sed ad conciliandas illas opiniones Cluuerius obseruat Pelasgos  
à quibusdam quasi *Pelargos* nuncupatos esse *Ciconias*, quod tur-  
matim errarent per urbes Græcas, atque Barbaricas, & ex Arca-  
diā profectos in Thessaliam venisse, inde eiectos in Lemnum, Im-  
brum, immo & Mœoniam traiecerisse. Duas autem expeditiones à  
Pelasgis suscepitas fuisse, & primò quidem regionem ad Padum  
incoluisse: aliam venisse coloniam ex Lydiā quæ Umbros eiecit  
ex Tusciā, & nouis illis Pelasgis veteres adiunctos esse, qui am-  
plissimam regionem à mari supero ad inferum occuparunt; donec  
superuenientibus Gallis in duas gentes distracti sunt Rhætos, &  
Tyrrhenos, seu Tuscos, vt mox dicemus.

### N V M. 3. *Politia Tuscorum, & potentia.*

*COEPERVNT* eminere Tusci ex quo Tarchon Princeps Pelasgo-  
rum Tyrrhenorum expulsis Umbribus pro sede, atque arce belli Cor-  
tonam constituit. Eos autem fuisse potentissimos multa ostendunt.  
*Primò*, quod Capuam considerunt, vt aiunt Strabo, Pa-  
terculus, Mela. *Secundo*, quod de eorum nomine Italia tota dicta  
est Tyrrhenia, vnde & Roma in Tyrrheniā apud veteres colloca-  
tur, vt ait Dionys. *Tertiò*, quod toto mari infero sint potiti, quod  
de suo nomine Tyrrhenum appellauere. *Quarto*, quod Insulas Sar-  
diniam, & Corsicam adiunxerint Imperio suo, vt ait Strabo lib. 5.  
*Quinto*, quod Imperium destinarint extendere ad Columnas Her-  
culeas, eoque colonias mittere, sed à Carthaginiensibus impe-  
ditos, vt tradit lib. 5. Diodorus.

Quomodo autem eorum potentia decreuerit non minus est im-